DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE

SCORBUTO.

QVAM,

Deo Opt. Max. Juvante,

Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

D. JOHANNIS FRED. GRONOVII,

J.U.D. & Linguæ Græcæ, Græcarumque Hiſtoriarum in illuſtri Academiâ Lugd. Bat. Profeſſoris celeberrimi,

NEC NON

Conſenſu Ampliſſimi Senatus Academici, & Nobiliſſimæ Facultatis MEDICÆ *Decreto,*

Pro Gradu Doctoratus, ſummiſque in MEDICINA honoribus, & privilegiis, ritè, conſequendis,

Publice examinandam proponit

JOANNES LEVISTONIUS, Scoto-Edenburg.

A. D. 13 Octob. loco boriſque ſolitis.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud JOHANNEM ELSEVIRIUM,
Academ. Typograph.

cIↄ Iↄc LXI.

Nobiliſſimis, Illuſtriſſimis & Ampliſſimis Dynaſtis,

D. GEORGIO, Limnuchi comiti, Domino Leviſtonii.

D. JACOBO, Calendarii comiti, Almonis Baroni.

NEC NON,

D. JACOBO, Comiti de Neubrugh, Domino à Kinnaird, Satellitii regii Strenuiſſimo Duci:

Splendidiſſimis Illis tribus gentis Leviſtoniæ luminaribus Auguſtiſſimo & Sereniſſimo CAROLO II. Britanniarum, &c. monarchæ à Secretis conſiliis, Patronis ſuis ſummopere Colendis;

Theſes haſce Inaugurales Medicas debitæ Obſervantiæ ergo

D. D. C.

JOANNES LEVISTONIUS,
Auth. & Reſpond.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE SCORBUTO.

Humanæ vitæ quam fragilis ſit ac ærumnoſa conditio, præter alias miſerias, morborum fere Infinitorum caterva demonſtrat: & inter illos morbos nullus frequentior in noſtris regionibus frigidis Scorbuto, Idcirco non inutile erit, ſi de co opinionem noſtram paucis dicemus & primò de nomine.

THESIS I.

Scorbutus dicitur à ventris cruciatibus, & definitur à Cl. Sennerto ſic, eſt depravata corporis nutritio vel cachezia, ab humore melancholico peculiari modo corrupto, orta: conjunctam habens debilitatem crurum, maculas, gingivas tumidas, & ſanguinolentas, dentium Laxitatem *& alia Symptomata. Aut potius ſic deſcribi poteſt:* Eſt abundantia ſalſi ſeroſi & tartarei humoris,in corpore,orta à Depravatâ chyſicatione, & ſanguificatione, producens ſanguinolentum gingivarum tumorem, & plura alia Symptomata.

II.

Hunc morbum veteribus fuiſſe notum, (contra Wierum & Joël) *probabiliter exiſtimo*: ſed ſub alio nomine, *uti ſub* Oſcedine, vel Scelotyrbe, alii putant ſub Ićtero *nigro*, vel morbis lienis,in Hypoc. vel ſub nomine volvuli ſanguinei; ſed de hac re vide doctiſſ. Sennertum.

 III. Hic

III.

Hic morbus eſt endemius Septentrionalibus nationibus & maritimis, magnamque affinitatem habet cum affectione Hypochondriaca, uti obſervatur à Cl. D'Franc. de le Boë Sylvio, in Inclyta Academia Lugduno-Batava medicinæ Profeſſore celeberrimo, & præceptore meo: Nam in utroque morbo, fere eadem ſunt Symptomata, V.G. cruditates ventriculi, ſalivationes, murmura Hyponchondriorum, ut etiam notat doctiſſ. Riverius.

IV.

Cauſam & ſubjectum hujus morbi variè ſtatuunt authores. 1. *Eruditiſſ. noſter Liddelius, dicit hunc morbum provenire à melancholicis & corruptis humoribus, ex vitioſis alimentis in Iecore genitis, qui à liene non attrahuntur & expurgantur, ſed in corpus diſtribuuntur: quia lien ſæpe afficitur tumoribus & obſtructionibus.* 2. *Severinus Eugalenus in lib. de Scorbuto dicit Internam cauſam hujus morbi, eſſe exuberantiam humoris melancholici, ex mala diæta acquiſitam, circa lienem hepar vel intermediis Spatiis inter hæc & ventriculum, vel in ipſis venis coacervatam, unde viſcera vicina depravantur, & alimenta ſuperingeſta corrumpuntur.* Cum illis conſentire videtur Sennertus, *nam duplicem fontem & ſedem ſtatuit Scorbuti,* 1. *fontem & locum in quo generatur.* 2. *ſedem in qua cauſa continetur: quoad colluviei fontem, hunc meſenterium & primas corporis vias, ſeu venæ portæ ramos ſtatuit.* Dicitque *ſæpe lienem ab hac labe ſalvum eſſe, ſi tamen chylus fœculentus, ſalſis ac tartareis excrementis ſcateat, lien nec attrahere nec elaborare poteſt, atque ita fine ſuo fruſtratur:* Ita ſtatuit *fontem primum colluviei Scorbuticæ ex pravo victu contractæ, eſſe in meſenterio, omento, & primis viis inter ventriculum, lienem, & hepar: at ſi diutius duraverit hic affectus, illaque colluvies copioſior per venas & arterias in totum corpus diffunditur, unde totum venoſum genus colluviei Scorbuticæ ſedes haberi poteſt:* Sicque concludit *cauſam Scorbuti, non tantum eſſe humorem melancholicum, ſed ſero ac Ichore dilutum inſtar lixivii.* Platerus dicit *in Scorbuto eſſe quoddam venenum privatum, in quo conſiſtit cauſa morbi.*

V.

Attamen quamvis hæ ſunt opiniones Doctiſſ. Medicorum, non tamen illas ſat certas eſſe puto. Primo quoad illam vulgarem opinionem

nem & Sennerti; non certò nititur principio: quia hi authores αἱμάτωσιν in liene eſſe exiſtimabant. Sed merito rejicitur hæc fictitia ſanguificatio lienis à recentioribus: quia nullæ venæ lacteæ verſus lienem tendunt; & ob hanc rationem opus ſanguificandi, hepati denegatur, & ſoli cordi adſcribitur: quia ad nulla alia viſcera pervenit chylus. Quoad opinionem Plateri non opus eſt ad occultum venenum fugiamus, ſi dari poteſt manifeſta cauſa.

VI.

Sed his dimiſſis, opinionem meam de cauſa hujus morbi, & de ejus ſubjecto, paucis declarabo: ſcil. hunc morbum non oriri ab humore melancholico, quia controvertitur num detur talis humor in corpore, qualis eſt deſcriptus in libris. Nec puto focum & mineram eſſe primario, in liene, omento, & ſpacio inter ventriculum & hepar & lienem, ſed hunc morbum primario habere ortum à depravata chylificatione, & ſanguificatione: quia Scorbutus ſæpe oritur à frequenti uſu alimentorum ſalſorum; & craſſorum; unde chylus ſalſus, & tartareus & ſeroſus gignitur. Pars craſſior hujus vitioſi chyli, hæret partim in Inteſtinis tenuibus, & venis lacteis, hinc efferveſcentiæ oriuntur, multorum Symptomatum cauſæ. Pars ſeroſior tranſit per venas lacteas ad maſſam ſanguinis, eamque corrumpit, unde cachexia, ac depravata ſanguificatio.

VII.

In hac colluvie humorum Scorbuticorum, ſal fixum præcipue locum habet; & probatur, quia curatur illis medicamentis, quæ abundant ſale volatili: qualia ſunt omnia antiſcorbutica, ut cochlearia, naſturtium, & raphanus; quæ omnia guſtata, vaporem ſubtilem & acrem ſpirant.

VIII.

Cauſæ externæ & procatarcticæ Scorbuti, præcipuæ ſunt errores in diæta, & 6. rebus non naturalibus. Interdum à mala diſpoſitione viſcerum & ſanguinis. 1. Quoad victum culpantur hæc, caro bubula, caprina, hircina, aprugna, ſalſugine aut muria in aceto macerata; fu-

mo ſiccata, ac indurata, lardum rancidum devoratum, piſces lacuſtres, maritimi & coctu difficiles, & ſale aut muria conditi, aut fumo aut calore ſolis Siccati, acetum etiam culpatur hic, quia uti dicitur, choleræ mors, ſic etiam melancholiæ vita. In hoc genere ſunt omnia legumina, braſſica, cepa, & omnia quæ humorem craſſum & ſeroſum ac tartareum generant. Aquæ etiam corruptæ numerantur inter cauſas procatarcticas Scorbuti. Multum etiam facit aër & regionum ſitus, & locorum conſtitutio humida, & frigida, ac ſalſuginoſa. Otium etiam ad hunc morbum generandum confert; Evacuationes conſuetæ, ſi ſupprimantur, idem poſſunt. Inter animi motus triſtitia potentiſſima eſt, ad humorem craſſum & tartareum congerendum. Ad hoc etiam faciunt febres, præcipue quartana, nonnunquam tertiana. His omnibus cauſis addi poteſt, contagium, quod ſæpe per halitum & ſalivam communicatur.

IX.

Signa & Symptomata multa ac varia ſunt; 1. ſigna Scorbuti incipientis ſunt; laſſitudo ſpontanea in cruribus, & toto abdomine gravitatis ſenſus, crurum debilitas, ac dolor obtuſus, pectoris anguſtia, & reſpiratio difficilis, lividus color, pulſus parvus, debilis & inæqualis, vel magnus & durus abſque inflammatione. Malo ingraveſcente, gingivæ intumeſcunt, flaccidæ redduntur, grave olent, corrumpuntur, caro ad dentium radices abſumitur, dentes vacillant, crura ad ambulandum impotentia ſunt, & quaſi paralyſin patiuntur, maculæ ſunt variæ, rubræ, purpureæ, fuſcæ, non ſolum in cruribus ſed in dorſo & lumbis efflореſcunt. Sæpe crura atrophia laborant; ſæpe intumeſcunt: & ſæpe ita exulcerantur, ut elephantiaſin Arabum æmulentur; varices ſub lingua viſuntur & inferioribus labiis. Gravitas & diſtentio ventriculi poſt cibum ſolet adeſſe, ructus & nauſea urgent, & flatus per inteſtina emittuntur, interdum ſenſus externi & interni læduntur, urina eſt varia, interdum tenuis & citrina, nunc craſſa & alba, & rubra inſtar lixivii, arenulæ rubræ ſæpe adhæreſcunt matulæ. Aliquando appetitus adeſt, aliquando nullus, tormina in inteſtinis, tumor in hypochondriis, ſæpe dolor obtuſus crurum, aliquando tenſivus plerumque ἀστεοκόπος, aliquando dolores in ſuris & plantis pedum, interdum dolor quaſi colicus adeſt, & nephritico dolori ſimilis, aliquando dolor arthriticus vagus, dolores capitis, convulſiones &

con-

contractiones ſæpe ita ægrum infeſtant ut nullum articulum extendere poſſit, aliquando paralyſis quæ interdum crura interdum totum latus involvit, affligit Scorbuticos,interdum pleuritis quædam falſa, Epilepſia ſæpe accidit, interdum apoplexia, interdum ſopor, non raro delirium, lipothymia & cordis palpitatio, alvi fluxus, ſæpe ſpecies quædam dyſenteriæ, hydrops, icterus quandoque conjungitur Scorbuto, quandoque febres variæ, quandoque continuæ & intermittentes,interdum Eryſipelata,ulcera,tubercula dura in toto corpore erumpunt, nonnunquam tumores magni, atrophia tandem ſequitur hoc malum. de hiſce omnibus eleganter ſcripſit Eugalenus in lib. de Scorbuto.

X.

Quoad prognoſin, malum quidem in principio, ſat facile curari poteſt. Si vero altas agat radices vix unquam in totum & perfecte extirpatur: & diu protrahitur curatio non tantum propter viſciditatem humorum,ſed ob multa ac magna Symptomata quæ ſequuntur; nam non raro deducit ægros ad hydropem & atrophiam, alioſque morte ſubitanea per apoplexiam,& alios difficiles morbos evertit. Quo maculæ ad atrum colorem magis accedunt, eo majus eſt periculum. Fœminæ periculoſius laborant viris potiſſimum ſi menſtrua ante tempus ſubſiſtant.

XI.

In curatione hujus morbi, indicationes ſumuntur ab humoris natura: humores Scorbutici ſunt craſſi, ſeroſi, tartarei, ſalſi, idcirco aperientia, alterantia, evacuantia & confortantia conveniunt: 1. humor tartareus & craſſus eſt colliquandus,attenuandus,incidendus idoneis medicamentis ut ſolutis obſtructionibus,craſſum quod eſt,facile decidat ad vias alvi: tenuius & ſeroſius ad vias urinæ demandetur. Sic conveniunt rad. ſcorzoneæ. caryophil. helen. cichor. polypod. gentian. rhapont. ariſtol. rotund. ſcyll.cort.tamariſc. cappar. folior. chamæd. chamæpith. cuſcut. agrimon. fumar. hyſſop. lupul. ceter. ſcolopend. beton. origan. flor geniſt. cichor. bacc. Juniper. lauri & ſimilia. Sic tali forma præſcribi poteſt hæc potio. ℞ Rad. fænic. polypod. ana ℥i cort.tamariſc.radic. cappar. ana ℥ß cochlear. bekabung. fumar.

 ana

ana Mi. ceterach. chamæd. hyſſop. capill. vener. lingu. cervin. ana Mß. paſſul. ℥i coquantur: cape de colatur. clarific. ℥xx dulcoretur ſacchar. cando. adde cinnam. ℈ii. fiat potio pro 4. vel 5. doſibus. Poterit etiam exhiberi ſpiritus ſalis, cremor tartar. tartari vitriolat. in juſculo carnis, vel alio liquore convenienter.

XII.

Humore præparato viiſque reſeratis, accedendum ad purgantia: ſic ℞ Rad. cichor. fœnic. petroſel. ana ℥i raphani ruſtican. ℥iß. cappar. tamariſc. ana ℥ß herb. cichor. acetoſ. card. benedict. fumar. bekabung. naſturt. aquatic. ana Mi. cochlear. Mii. ſemin. aniſi, fœnicul. ana ℥ii tamarand. ℥ii. decoquantur in aqua hord. ad lib. iß. addendo ſub finem decoct. folior. ſenn. ℥i. mechoac. agaric. ana ℥i. cinnam. ℈i. colatur. adde ſyrup. de limonibus ℥iß. ſpirit. vitrioli gutt. 15. miſce fiat apozema: de quo ſumat æger quotidie mane ℥iiij. Jejunus.

XIII.

Humore evacuato, ſequuntur medicamenta antiſcorbutica dicta ſpecifica; inter quæ ſunt cochlear, naſturt. aquat. bekabung. raphan. ruſtican. ſinapi, fruct. chamærubi, nummularia; trifol. aquat. bacc. Juniper. Nota 1. omnia antiſcorbutica abundare ſale volatili, ideo potius adhibenda ſunt in ſuccis, aut conſervis quam decoctionibus in quibus ſal volatilis evaneſcit. Nota 2. omnia ſalia volatilia conducere in hoc morbo, quia ſal volatilis aperit, penetrat, craſſos humores ac tartareos reddit volatiles ut chymici loquuntur; diſcutiunt, per urinas & ſudores expurgant: Succus harum plantarum exhiberi poteſt in ſero lactis caprilli, vel vino tenui, vel alio liquore conveniente. Nota 3. major erit efficacia ſi addere velis ℈i vel ʒß ſpiritus ſulph. vel vitriol. cum ʒi ſal. tartar. hiſce facilius diſſolvuntur humores tartarei: Uti etiam poteſt cochlear in conſervæ forma.

XIV.

Poſt uſum horum medicamentorum, commodus eſt acidularum potiſſimum ferratarum uſus. Cum chalybs ſit ſummum medicamentum pro obſtructionibus, præcipue chalybs præparatus, convenit etiam

etiam crocus martis aperiens. Hinc diuretica & ſudorifica conveniunt; ad ſudorem provocandum valent aqua theriacalis, decoctum ligni gujaci. ſarſ. paril.chinæ. mithridat.antimon. diaphoret. bezoar. mineral. ad roborandum cor. alkermes. cort. citri condit. conſerv. borag. Syrup. de cinnam. confect. de hyacynth. diamargarit. ſi adſit plethora fiat venæ ſectio, ſed ſi maculæ prodierunt, ſuperſedendum.

XV.

Quoad diætam, ſumma cura rerum non naturalium habenda eſt, aër ſit moderate calidus, ſiccus, purus. Cibi boni ſucci & facilis coctionis, attenuandi, incidendi aperiendi vi præditi exhibeantur. Laudantur hic juſcula carnium & gallinarum, ac ptiſanæ, uvæ paſſæ ac lac. caprill. quibus miſceri debent antiſcorbutica, utilia ſunt mala aurantia; cibi condiantur rore marino, thymo, ſatureia, croco, cinnam. macer. Acetum purum plane fugiendum. Potus ſit vinum tenue, vel cereviſia tenuior lupulo condita, vel vinum medicatum abſynth. lingu. cervin. vel chamæd. Labor ſit moderatus, conſuetæ evacuationes non ſupprimantur. Caveat ſeminaria Scorbutici contagii; pocula halitum & ſimilia evitet.

XVI.

Symptomata quæ Scorbuticos affligunt, varia ſunt quæ per periodos ut plurimum afficiunt, non omnia in omnibus reperiuntur, alia magis ſunt familiaria, alia minus, ſunt autem hæc: difficiles reſpirationes, pectoris anguſtiæ, lipothymiæ, dolor crurum, &c. ante dicta ſunt omniaque partim à vaporibus & flatibus partim à ſeroſo acri ac ſalſo humore oriuntur; quoad curationem horum Symptomatum non multa dicenda ſunt quia ſponte ceſſant poſt morbi cauſarum remotionem.

COROL-

COROLLARIA.

I.

Objectum medicinæ eſt corpus vivens ſanabile cum Plempio doctiſſ.

II.

Et cum eo aſſero artem medicam nullo modo conjecturalem eſſe ſed tantum exercitationem eſſe conjecturalem idque defectu artificis non artis.

III.

Serum percolari per ſubſtantiam renum non per vaſa capillaria cum acutiſſ. Highmoro aſſero.

IV.

Datur medicamentum magneticum cum ſubtiliſſ. Dygbæo.

V.

Sedem animæ non eſſe glandulam pinealem, contra Cartes ſubtil. & Regium cum Cl. Thom. Barthol. ſtatuo.

VI.

Vis lapidifica aut λιθοποιητικὴ *eſt cauſa calculorum in corpore humano cum Sennerto.*

VII.

Chylus eſt materia lactis.

VIII.

Non opus eſt ſpiritum aliquem à ſanguine diſtinctum in homine quærere, aut calorem aliunde introducere; domi ſcil. naſcitur quod vulgo ab aſtris petimus, utì eleganter Harveus.

IX. *Pu-*

IX.

Putredo virulenta eſt veriſſima cauſa contagionis cum Cl. Kirchero.

X.

Bruta non moventur ut automata.

XI.

Morborum ſpecies 2. ſunt, intemperies & conformatio prava cum Doctiſſ. Regio.

XII.

Dantur vitales & animales ſpiritus in homine.

XIII.

Pulſus in arteriis non eſt à facultate ſed ab impetu ſanguinis.

XIV.

Omnes partes ſunt ſpermaticæ.

XV.

Conceptio uteri eſt materialis, ſcilicet commiſtione ſeminis utriuſque ſexus.

XVI.

Dantur atomi cum Doctiſſimo Magneno, Scalig. acutiſſ. Baſſon. Sennerto, Sperling. & Cl. Heerbord.

XVII.

Dantur occultæ qualitates, ut attractio ferri à magnete, &c. & cum Cl. Scalig. ſummam eſſe impudentiam omnia ad qualitates manifeſtas deducere opinor.

XVIII.

Vſum hepatis eſſe bilis ſecretionem, ſanguinis depurationem aſſero.

XIX. *San-*

XIX.

Sanguis percolatur in parenchymate hepatis cum Cl. Gliſſon.

XX.

Fœtus nutritur in utero per os.

XXI.

Critici dies non ſunt anxie obſervandi in hiſce frigidis regionibus.

XXII.

Poſſibilem eſſe tranſmutationem metallorum cum Sennerto & Franciſc. le Rees contendo.

XXIII.

Non datur univerſalis medicina contra chymicos.

XXIV.

Nulla dantur philtra.

XXV.

Dolor eſt à ſolutione continui.

XXVI.

Partes ſolo nutriuntur ſanguine.

XXVII.

Ventriculi cerebri ſunt receptacula excrementorum.

XXVIII.

Morbum Gallicum fuiſſe notum veteribus cum Zacuto Luſitano probabiliter aſſero.

XXIX.

Principia corporum naturalium eſſe aquam, terram, ſulphur, ſalem & ſpiritum cum Doctiſſ. VVillis defendo.

XXX.

Non datur intemperies ſine materia.

FINIS.